

quippe non modo historiam illarum rerum scripsit, vt ille, sed etiam causas physicis et mathematicis rationibus subtiliter, pro illius aetatis modo, indagauit, et machinationes omnes metallicas, aedificationes, artesque officinarum metallicarum perspicue explicauit et perscripsit; quod est genus scribendi, praesertim si primus aggrediare, longe difficillimum; denique latinitate in iis rebus exponendis vsus est ad aurei seculi imitationem feliciter composita. Atque etiam primus historiam metallorum scripsit libris duobus, de *Metallis veteribus et nouis*, et totius rei metallicae venustum, et *Erasmo* mirifice laudatum, compendium in sermone ac dialogo, cui *Bermanni* titulum fecit, quod is inducitur in valle Ioachimica colloquens cum *Nic. Ancone* et *Naeuio* de rebus metallicis: quos libellos, turpe sit homini elegantioris doctrinae in his terris, non legisse, multo magis, nescire.

Et ille nullam aliam causam habuit primo harum rerum accurate cognoscendarum, deinde litteris latinis illustrandarum, quam quod ex Italica literarum et doctrinae medicae disciplina in patriam reuersus, medicinam facere instituisset in valle Ioachimica, et quod patriam haberet non modo Saxoniam Misnicam, quae a metallis quoque clara esset, sed etiam natales in oppido, montibus iis propinquo, in quibus metalla exercerentur. Quare decorum sit etiam aliis, eam partem bonorum nostrorum non ignorare, et in iis cognoscendis aliquid studii, non modo ad vtilitatem in metallis exercendis, sed etiam ad liberalem ingenii et otii oblectationem, collocare. Et fuerunt ab illo tempore multi multis locis popularium nostrorum, qui hanc partem naturae et doctrinae, visendis et inspiciendis metallis, tum nostris, tum externis, colligendis metallotheticis aut bibliothecis metallicis, diligentius cognoscere studerent, etiam literis, vtinam *Agricolae* vestigiis persequendis, illustrarent; quos omnes nominare non est necesse. — De quorum numero fuit etiam is, cuius memoriam nostris, posteritati, commendare instituimus, CAROLVS FRIDERICVS TRIERVS, Vir Illustris, qui primum, inter ceterae doctrinae iuuenilis studia, etiam hoc genus coluit, exacto autem studiorum in Academiis curriculo, non modo nostras fodinas

lustrauit